

LIBER TERTIVS

DE IVDICIIS NATIVITATVM

D. Ioannis Schoneri Carolostadij, Prof. ssoris
diuinæ Matheseos, in celebri Germaniæ
Noriberga.

PRAEFATIO.



DOCTRINA Genethliaca in duabus rebus consistit, in disquisitione apotelesmaticum, seu euentuum, & definitione temporis decreti. Haëtenus priorem partem duobus libris tractauimus, Tertium alteri parti tribuimus. Quemadmodum autem sequens doctrina sine præmissa non potest consistere, ita præcedens sine sequenti parum momenti habet. Est enim complementum seu perfectio Genethliacæ doctrinæ futuri euentus tempus, quo se is potissimum ostensurus sit, posse definire.

Quare omnes qui aliquid operæ posuere in artem hanc inquirendi ac definiendi euentus & accidentia nati, maximè in hoc incubuerunt, ut per summas etiam difficultates tempora euentuum disquirerent. Proinde ego quoq; diligentissimè quicquid usquam dignum relatu de hac doctrinæ parte inuenero in hunc librum congeram. Quid præstiterimus iudicent, quibus hæc nostra sunt futura usui. Nos certe uix cum maximis laboribus ex his difficultatibus sumus eluctati. Alij inscribunt hanc doctrinæ partem, de Reuolutionibus, ego non facile à Ptolemæo discedo, qui etsi multum tribuit transitibus stellarum, tamen neq; introitus Solis in puncta cardinalia obseruat, sed Coniunctiones & Oppositiones proximè præcedentes, neq; in rebus Genethliacis circa discussionem thematicis Reuolutionis occupatus est. Quòd autem Ptolomæus hoc sibi sequendum duxerit, indè factum puto, quòd propter Eclipses in Coniunctionibus & Oppositionibus Lunæ, motus satis certus habeatur; Imensa autem è diuerso difficultas obstat, quo minus Solis motus ad aliquot scrupula exactè habeatur, tum propter instabilem & fluxam anni præcisionem, quæ certe hac in parte requiritur, perueniri posse. Ne igitur à Ptolemæi sententia discederemus initio docuimus, quomodo per progressiones & transitus tempora euentuum præuideri debeant. Deinde
his